

& *Magnificus, Dominus Vitus Ludovicus à Seckendorff, Macenas no-*
ster maximis nominibus suspiciendus, Poëtarum fabula de priscis
mortalibus, qui glandibus vixerint, nata est, quæ tam altas egit
radices, ut aliquot ex Ciceronis, observante id Stuckio lib. 2. f. 157.
Antiquit. Conviv. multa verò ex aliorum scriptis proverbialibus
inprimis locutionibus ab Erasmo in Chiliadibus notatis, quæ inde
ortum traxerunt, infecerit. An verò inde quoque aliquid traxe-
rit Plinius, qui in Hist. Nat. c. 4. lib. 19. Carnis, inquit, desideria
in exprobratione erant. Horti maximè placebant: altioris indaginis,
non exigui judicii est. Quicquid horum sit, nonnullas certè gentes
frumenti loco arborum fructus usurpasse, Alexander ab Alexandro
lib. 3. Gen. Dier. c. 10. refert, & idem, qui in eum eruditè scripsit,
Andreas Tiraquellus, Regius in curia parisiensi Senator, multorum
autoritate probare nititur. Quod si tamen quis ex eodem fonte,
quo superiora, hæc quoque manasse putaverit, nobis hic tantum
dixisse sufficit, cum constet inter omnes, multis obsonium longè
celeberrimum herbas fuisse & olera; quale quid de Spartana ju-
ventute & Persis referunt: eos enim ad panem ferè nihil addi-
disse præter nasturtium, Plutarchus, Xenophon & Cicero in Quest.
Tuscul. satis fidi testes sunt.

§. XVII.

Apud Romanos verò, quis usus fuerit eorum, quæ quon-
 dam ferebat hortus, optimè forsan cognosci posset ex schedis,
 quas coqui in conviviis mittebant ad Dominos, ut hi inde & ca-
 put cœnæ seu præcipuum ferculum & ordinem, quo illi uterentur
 in apponendis cibis, cognoscerent. Sed ejus generis rarò occur-
 runt, nisi apud *Macrobius lib. 3. Saturn. c. 13.* ubi ipse cœnam
 Metelli describit; ex quo tamen luxus Romanorum potius,
 quàm quicquam, quod ad nostrum institutum facit, apparet. Col-
 ligi nihilominus non ita difficili negotio potest cum aliunde, tum
 præcipuè ex distinctis partibus, quibus cœnam suam exhibebant
 Romani. In antecœnâ enim sive antecœnio, ut vocabant, varii ge-
 neris pruna & mala citrea locum habebant, cœnam verò aut clau-
 debat